2530 a

29

Luctuosas Exeqvias
AMPLISSIMI CONSULTISSIMI VIRI
DN. FRID. ZAMELII
Cos. Elbing. dignissimi,
Scholarchæ meritissimi,

Debito honoris & memoriæ cultu proseqvuntur

in

GYMNASIO ELBINGANO
Pieridum Sacris Addicti.

O Mihi Nestoreo stillarent labra lepore,
Et fluerent Elegis verba ligata modis;
Nunc, nisi vel luctus lingvaria poneret ori,
Concinerem, rapiat qvem fera Morta VIRUM.
Nempe suum multâ qvem Curia laude Synergum,
Ipse Senatorum prædicat Ordo Senem.
Qvem Patriæ pridem Musæ coluêre Scholarcham,
Gnarum Pieriæ ritè præesse rei.
Qvi novit binos facili conamine lingvæ
Fundere Romulidum Grajugenumq; sonos.
Qvem Phœbus Vatem docuit dignissima Cedro
Et cœlo facili condere metra pede;
Ut, qvæ sponte suâ numeros coiêre sub aptos,
Exsuperent docti scripta Nasonis opus.
Nunc posuit fluidos annosi corporis artus,
Supremumq; Senex clausit in orbe diem:
Ac licet afficiat multorum pectora, digni
Vivere Nelëidis sécla ruina VIRI;
Non tamen infelix vocitari jure meretur:
Qvi satur & vitæ, laudeq; clarus obit:
Qvin ego felicem laudo, qvem taliter Orbe
Post mortem prohibet Vivida MUSA mori.

Ad Defunctum Dn. Scholarcham.

TEmpus erat, Clariam qvo rursus adire Zameli,
Debueras solito more Scholarcha domum,
Æmula qvò teneræ spectares prælia pubis,
Profectus specimen qvæ dare promta sui.

Sed

Sed vocat ad superas, Vastum *qvi dirigit* Orbem
Numinis Imperio, Jova Monarcha *domus:*
Publica cœlicolûm qvò spectes jubila cœtûs,
Qvi celebrare Deum *voce paratus ovat.*

Franciscus Siefert Elb.

LESSUS ENCOMIASTICUS.

QVæ nova per Clarias resonant lamenta Cathedras,
Qvis dolor exurgit Musis, qvæ cura Lycéi
Mutua Gymnastas, Musæaq; corda flagellat?
Fallor, an exanimis Parcarum lege seqvestrâ
Presby-Scholarcha cadit, qvem dudum ferrea Clotho,
Corporis effœtæ vires, ac cana senectus,
Qvæ vel Thessaliâ gravior depresserat Oetâ,
Destinat occiduum Libitinæ urnæq; cadaver?
Scilicet ipse cadit nulli revocandus in auras,
Stentoreô ut pulset tumuli clamore cavernam.
O Heliconiades, tanti cur causa furoris,
Tanta cruoribibis concessa potentia Parcis?
Omnibus in pretio gravitas rugæq; seniles,
Cycnéiq; simul reverentia magna capilli;
Nec tamen his capital, gyrata volumina fusô
Rumpere Presbyteris, niveus qvos inficit albor
Occiput, & vegetumqveis corpore robur, Ephebis.

Num Thracum Citharista sonô testudinis Orpheus
Movit Avernales, Acherontica regna, caminos:
Nec flexisse potis metricô ZAMELIUS ausu
Parcas, Getulis magis horrida monstra leænis,
Qvi sublimatô victor tentamine Musæ
Omnia devicit, qvoquò sacer impetus egit?
Sic Therapocrene nusquam est, nec Phocidos undæ,
Vatibus unde manu spumantia præbet Apollo
Cymbia, luctificam possunt depellere mortem?
Hactenus errantes hederas, & laurea Vates
Texta tulit, capiti quæ rupe bîvertice Pindi
Imposuit ter terna cohors; nunc taxea pullum
Sylvula præcingit tumulum, nubitq; cupressus.
Ast utinam Vates possent hunc reddere Vatem,
Phœbéis numeris, quis non nova carminis orsa
Ederet, & Pindum totumq; Helicona cieret?
Hoc etenim tellus se Prussica Vate superbam
Jactat, ut Andino qvondam se Mantua faustam
Extulit, aut Sulmo Nasone, Verona Catullo.
Mæret Habus, latè notum qvem Musa *Zamelî*
Reddidit, ipse dolet cum Najade Drusidos amnis.
Et procul, Elbingæ in gleba benè fertilis, arva
Doctiloquo toties versu cantata *Zamelî*
Vndiq; collugent: ipsam qvin luctus & Vrbem
Occupat, & raptum deplorat Curia Patrem.
Qvisq; pias Manes Elegûm vectare qvadrigis

Certat,

Certat, & elogiis numerosæ laudis acervos
Augmentare, licet non hæc augmenta requirant.
Namq; aliis vivô peperit qui carmine vitam,
Ipsemet eripuit se letho, & pulvere Lethes.
Fama per ora Virûm volitat plaudentibus alis,
Sola soloq; nequit tectis sepelirier umbris.
Taliter, Iliados dùm conditor, orbeq; docta
Æneïs hìc superat, regna & Parnassia Phœbus
Incolit, usq; recens revirescat Fama *Zameli*,
Nescia Fama mori bustô, Phœnicis ad instar
Qvæ se grandævam flammâ vivace propagat!

Alius.

Επτ' ἀμφισβητοῦσι πόλεις περὶ κλειτοῦ Ὁμήρου,
ὃν μὲν σχεῖν δῆλον πᾶσι νόμιζε κλέος.
Τίς καὶ ἑὸν πολίτην πόλις οὐ Ζαμήλιον εὔχῃ,
οὗ Φοίβοιο δίκην τοὔνομα λαμπετάει;
Ἀλλά σοι οὐρανόθεν δόθη Αὐτὸς, Δροῦσι περισσῇ,
οὔ σ' ἄρα κηρύξεις ἄστυ μάλιστα μάκαρ;

conscriptus
à
Friderico Hoffmanno.

O Fera, trux ô mors, vivos te cædere qvisnam
Jussit, & incurvâ falce secare bonos?

Credula

Credula nì Genitrix rupisset fædera JOVÆ,
Spicula quisq; feræ temneret atra necis.
Et potuisset idem *Zamelius*, *Ille Poëta*,
Fax Patriæ existens, & tuba viva suæ:
Sed frustra: propero perdit mors invida morsu
Patrónum, patrii spemq; decusq; soli,
Doctrinâ magnum, vah, perdit & indole magnum!
Gloria Musarum, qvi Charitumq; fuit!
Extitit hic Patrii vah, portio Magna Senatus,
Cujus erat patrii maxima cura boni!
Sanè si quis erat Tithonia vivere sêcla,
Talia, næ, functus vivere dignus erat.
Par fuerat potius, cessasset vivere nunquam,
Carmine quòd similem vix feret ulla dies.
O igitur Clarii damnum lacrymabile cætus!
Qvis largo mœstas non riget imbre genas?
Pierides geminent lacrymosâ voce querelas,
Effundant tristes nunc Charitesq; sonos.
Rara avis in terris, nigroq; simillima Cygno
Talis erat Vates, teste vel Invidiâ.
Qvisquis es ergo, dole, luge, sis sive Propinqvus,
Sive alius, Pietas hoc jubet atq; fides.
Sed modicè; nimius qvia fletus nullius usus,
E tumulo qvenquam nec revocare potest.
Et figendus obex, & voce levare dolentes
Præstat, eunt subito fata severa gradu.
Ille probè cecinit vivus, jam mortuus, ardens
Fax Cæli facta est, & Tuba viva DEI.

Lugente, lubenteq; animo appofuit.

Gregorius Braun Elb.

Sit sua laus aliis: sit HOMERUS ubiq; per orbem,
Notus in Eois occiduisq; plagis:
Sit sua VIRGILIO laus non moritura MARONI,
Carmine qvi tetigit solis utramq; domum.
Notus hic AUGUSTO, sit notior ille Monarchæ
Pellæo Iuveni Principibusq; Viris.
Pindaricum melos empireum jactetur ad æthram,
Et NASONIS opus vel Venusinus apex.
Inter at hos nulli cœlum verusq; JEHOVA
In qvo vera salus est sita, notus erat.
Qvippe superstitio, simulacraq; ficta Deorum,
Ac Epicurus iners hos tenuêre viros.
Hanc ego notitiam non unius assis habebo,
Notitiâ ni sit circumamicta Dei.
ZAMELIUS noster Vatum perpulchra Corona,
Ingenio, genio maximus, arte gravis
Rem melius gessit, qvæsivit utrumq;, Poëta,
Magnis ille Viris notus, & ille Deo.
Dulcia conscripsit metra, qvæ typus edidit olim,
Notus & hinc nostro tempore ritè manet.
Qvin erit haud dubiè venturo notior ævo,
Post mortem rutili notus in axe Poli.

TUMULUS.

Hac scrobe ZAMELIUS, patrii pars summa Senatus,
Defuncti posuit corporis exuvias.

Spiritus

Spiritus illius Mundumq; Orcumq; triumphat,
Et gaudet cælis, Cælicolumq; throno.
Discite, qui regitis patrium ratione tribunal,
Sincerè patrio consuluisse bono.
Qvalis ZAMELIUM jam nunc manet æthere merces,
Contendat talem qvisq; parare sibi.

Condolentiæ ergo addere hac debuit.

Godofredus Richterus. T. P.

Lugemus meritò, qvibus & cum corpore fama
Interit, â vitâ nec superesse potest.
Sed qvibus æternum pia nomen in orbe reliquit
Virtus, hos nimium non lacrymare decet.
Talis eras, cujus conduntur membra sepulchro,
Zameli, Patrii gloria magna soli.
Drusiaca prudens audisti Consul in urbe,
Semper & in Patriæ commoda qvæq; vigil
Carmine sudasti docto inclarescere mundo,
Carmina dum Vatum nocte dieq; teris.
Hinc et Phæbéâ lauro redimitus, & inter
Aonios Vates gemma corusca nites.
Nunc qvæ terra colit, fastidis Delphica serta,
Et spernis, qvicquid Naso Maroq; docent.
Qvippe Deus Lauro Te non marcente coronat,
Et nosti Angelicis verba ligare modis.
O dulces numeros, non visaq; carmina mundo,
Da tandem nobis his qvoq;, Christe, frui!

Franciscus Helvving. Elb.